



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Disputatio I. De Natura, & Arte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

fiat Resolutio usque ad materiam primam.

CLXXIX. Confirmatur tamen hæc Resolutio, quia talia accidentia sunt prævia ad formam dispositiones; ergo in forma non recipiuntur, sed in materia, &c.

CLXX. Dices, accidentia communia, siue non propria non disponunt potentiam materiæ receptivam; sed materiam ad recipiendam formam substantialem; atqui dispositiones immediate reci-

piuntur in eo, quod disponunt, ergo, &c.

CLXXI. Respondeo negando hæc maiorem ob dicta supra Disputat. 2^a de materia prima Dubio 7^o, sicut enim ignis mediante calore ut instrumento accidentia communia, & non propria producit, ita materia prima mediante potentia receptiva ut instrumento, accidentia communia & non propria recipit.

TRACTATUS II.

In Librum Secundum

PHYSICORVM.

LIBER hic tres partes continet: 1^a nil momenti; 2^a de Natura & arte agit: 3^a de Causis.

DISPUTATIO PRIMA

De Natura & Arte.

DVBIVM I.

Quid secundum Aristotelem natura & ars, & in quo inter se differant & conveniant.



Vpono nomen naturæ variè accipi: 1^o, pro uniuscujusque rei essentia, quomodo dicitur definitio explicare naturam rei: 2^o, pro essentia substantiali ut distincta à sua subsistentia, quomodo dicitur u-

na natura Divina, tres subsistentiæ. 3^o, pro Deo, qui dicitur natura naturans, quomodo mundus dicitur opus naturæ. 4^o, pro collectione omnium causarum creaturarum, quæ dicitur natura naturata, & illud miraculosum, siue supra vires naturæ, quod est supra illas. Hoc supposito, fit

RESOLUTIO I.

II. **D**ico 1^o, natura definitur ab Aristotele hic, Principium & causa motus & quietis ejus, in quo, primo & per se, & non per accidens inest.

III. Dicitur 1^o, Principium & causa, ubi ly Principium, utpote contentum in causa, superfluit, nisi, velis addi majoris explicationis gratia: per ly causa exclude unionem, quæ dum taxat est causalitas; item privationem, quæ propriè non influit in esse, cum nihil sit: sed per causam ex mente Philosophi intellige Solam passivam, cum Scotistis communis, Fabro Theorem. 33. c. 1. Fuentes hic q. 2. Sghemma disgres. 8. Poncio hic Disput. 36. q. 2. ubi ait id tam clarè asseri à Scoto in 2. Dist. 2. q. 10. n. 9. ut mirum sit ab ullo Scotista, de ejus mente dubitari posse. quidquid dixerint Vasques & Valesius intelligi activam tantum; & Connimbricenses, Rubius Hurtadus, Averfa, Arriaga, Ovidus, Telles, Murcia, &c. utramque activam & passivam, quorum præcipua ratio est, quòd Aristoteles abstrahat à causa in particulari, in ratione cause verò univoce conveniant causa activa & passiva: verùm supponunt falsum;

quia mens Aristotelis est assignare causam motus naturalis, prout opponitur violento, & non prout opponitur supernaturali, quæ cum esse non possit activa, quia agens naturale in agendo naturaliter non violentatur; (siquidem violentia est ab extrinseco; omnis autem actio agentis naturalis naturaliter agentis ab intrinseco & ex propensione naturæ; licet possit in non agendo violentari, ut, si positus omnibus ad agendum requisitis, Deus ipsius actionem impediatur, vel si per improductionem caloris impediatur aqua, quo minus frigus in se producat) solum passiva intelligi potest; quia oppositio fit per ordinem ad idem: plura videbis Resolut. 4^a.

IV. Dicitur 2^o, motus & quietis, id est, primæ productionis & conservationis; ejus in quo primo & per se, id est, essentialiter; & non per accidens, id est, & non accidentaliter; inest, ut excludas Principia, quorū motus nō sunt in eo, quod principiant essentialiter.

RESOLUTIO II.

V. **D**ico 2^o, Ars rectè definitur ex Aristotele Ethicorum 6^o, certa ratio factibilium, id est, actus dictans aliquid opus faciendum, siue internum, siue externum; sed communius sumitur pro ipsa operatione externa relinquente opus externum post se, aut saltem pro habitu intellectuali dictante, quomodo talis operatio fieri debeat.

RESOLUTIO III.

VI. **D**ico 3^o, natura & ars in eo maximè differunt, quòd natura sit principium substantiale ejus, in quo est; ars verò, non nisi accidentale; ac proinde illa substantia est, hæc accidens: deinde etiam in eo, quòd motus non sit ab arte quoad substantiam, prout est à natura; sed quoad modum, videlicet directionem; unde ars non potest operari sine natura & ratione: bene autem natura, sine arte & ratione.

RESOLUTIO IV.

VII. **D**ico 4^o, natura & ars in eo maximè conveniunt, 1^o quòd sicut natura operatur ex præjacente materia prima, unde natura dicitur generare;

Scientia esse naturam partialis, non distingueretur à natura completam accipiendo illam præcisè secundum mentem Aristotelis, & Ethnicorum Philosophorum pro composito ex materia & forma præcisè, quo sensu accipiunt Concilia & Patres naturam completam, cum volunt substantiam esse ab illa realiter distinctam, aliquid realiter illi sub vel super addere, &c. nego; accipiendo illam pro composito ex omni formalitate etiam per fidem cognita, cui convenit allata ab Aristotele naturæ definitio, concedo; verum juxta hunc sensum intelligi non debent Concilia & Patres; sed juxta primum unde dici debet substantiam distinctam realiter à natura secundum se, id est, à composito ex materia & forma præcisè, sive à natura, quæ subsistit & personatur; non verò à natura personante, sive quæ dat subsistere, vel, quod in idem recidit, à natura personata seu subsistente formaliter, & hoc modo explicabis Concilia & Patres.

RESOLUTIO II.

XVII. Dico 2º: Compositum ex materia, forma & substantia, est etiam natura, secundum quod natura ab Aristotele supra describitur. Est contra PP. Hurtadum, Ariagam, &c.

XVIII. Probatur materia, forma, & substantia sunt natura, quia sunt subiectum denominationis motus naturalis, qui est in toto, in quo sunt tamquam partes essentialiter constituentes; ergo à fortiori totum; quia illa sunt tantum subiecta quo denominationis, vel saltem quod partialia, totum verò totale quod; actiones autem & passiones sunt maxime totius suppositi, ergo, &c.

XIX. Confirmatur, id videtur clarè colligi ex Aristotele 1º Physic. cap. 10. *Natura quidem sunt animalia, partesque ipsorum, &c.* quod repetit libro 5º Metaph. cap. 4º. *Natura igitur, quod ex ambobus his est, ut animalia & partes eorum.* Et hæc confirmari possunt ex 2º Physicorum Textu 12º, *Compositum natura quidem non est* (puta partialis de qua continuò agit) *sed est* (puta natura totalis) *& constat natura* (puta partiali) ergo, &c.

XX. Nec dicas cum P. Poncio Physicæ Disput. 7ª. compositum completum, de quo in Resolutione, non inesse alicui, cui sit Principium motus & quietis, quod est de definitione naturæ. Ne id dicas, inquam, quia totum quidem non est in partibus in quibus est motus, formaliter & tamquam Principium illarum; est tamen in illis fundamentaliter, objectivè, & tamquam principium: cum verò Aristoteles velit totum & partes esse naturam, ut constat ex locis citatis, ex mente ipsius, sub ly in quo subaudiendum vel formaliter & tamquam Principium; si de partiali natura agatur, vel fundamentaliter, objectivè & tamquam principium, si de totali & completa. Hinc

XXI. Petes an corpus completum simplex (si detur) etiam sit natura? an etiam Angeli? Negare Aristoteles videtur, quia ex communi consensu, agit de motu corporeo, ejus, in quo est Principium talis motus; corpus verò simplex, Angeli, &c. neque sumpti objectivè & fundamentaliter, sunt in eo quod movetur, neque sumpti formaliter; bene autem anima rationalis, etiam separata à corpore, explicando particulam in quo est, per aptitudinem: dic tamen omnia ista esse naturas, sum-

ptà naturá, prout est Principium motus naturalis, quæ naturale opponitur supernaturali.

DUBIUM III.

Quid natura stando in Principiis fidei docentis Verbum naturam humanam assumpsisse, non substantiam.

XXII. Hic supponimus, Disputationis gratia, substantiam esse positivam, alioquin si negativa sit, satis patet naturam non esse aliter definiendam, quam Aristoteles eam definiert. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

XXIII. Dico, natura est id, quod ut quod in eo ordine, in quo reponitur, est 1º affectum formæ, quæ dat esse subsistens. Vide Logicam Disp. de substantia, ubi probatum est hanc definitionem soli materiæ & formæ convenire, quæ solæ, juxta Principia fidei & Aristotelem, sunt naturæ, ergo, &c.

DUBIUM IV.

An Ars possit moliri aliquod opus natura, id est, totum, quod vel sit, vel in se habeat Principium motus & quietis naturalis.

RESOLUTIO.

XXIV. Dico, Ars per se immediatè nullum totum, quod sit, vel in se habeat Principium motus & quietis naturalis, producere naturaliter potest; mediatè verò, applicando activa passivis, mira producere potest.

XXV. Probatur prima Pars, quia ars ex dictis est habitus, vel actus intellectus dictans opus externum faciendum; sed talis actus non habet vim effectivam, utpote improporcionatus nimium, ad dictum totum, ergo, &c.

XXVI. Probatur secunda Pars, quia in herbis, lapidibus & similibus corporibus naturalibus latent virtutes talium entium totalium productivæ, quas vel ope dæmonum, vel longo experimento homines deprehendere possunt, & per earum debitam combinationem & applicationem (quam eadem ope vel experimento edoceri poterunt) dicta entia totalia producere, ergo, &c.

XXVII. Confirmatur, experientia docet ex ovibus sub axilla, vel in furno, calefactis, pullos; ex cadavere bovino, apes; ex herba Basilisco, Scorpiones, educi; item, sapientes Ægyptios Serpentes fecisse legitur Exodi 7º. & Regionem Montanum aquilam ligneam misisse obviam Carolo 5º, Norembergam adventanti, & cum eo revolasse ad portas civitatis; imò & ejusdem civitatis civem aviculam ferream fecisse, quæ ad singulos convivas volaret susurratum, & rediret pro illius arbitrio, narrant historiae, ergo, &c.

XXVIII. Adde tamen non facilè credendum Paracelso vel Fieno, aliquos scilicet applicando activa passivis renatos, & hominem minutim confisum, & in vase cum nonnullis activis bene dispositum, ad vitam revocari posse; hæc enim sunt fraudes dæmonis, ut nunc experitur Marchio Villena Hispanus, qui id experiri voluit. Sed

XXIX. Petes, an per artē Chymicam sive purgan-

di & fecernendi metalla, possit produci verum aurum.

xxx. Respondeo posse quidem applicando activa passivis, ut ante dictum est, verisimiliter tamen hucusque non productum, quidquid Delrio inquit. *Magiarum lib. 1^o. cap. 5^o.* & alii plurimi, testentur Raymundum & alios verum aurum produxisse.

xxxI. Ratio primæ partis Resolutionis est, quod ex præmissis res longè perfectiores possint ita arte produci, sed maxime, cum dæmon materiam ex qua, virtutem solis & aliorum agentium naturalium ad productionem auri concurrentium penetret, non est cur auxilio ipsius Alchymista aliquis non possit agentia varia sufficientis istiusmodi virtutis & activitatis, ita attemperare, & materiæ ex qua aurum fit, applicare, ut ex ea forma auri educatur.

xxxII. Ratio secundæ partis Resolutionis est, quia in primis auxilium dæmonis, quod ad aurum conficiendum videtur in initio intervenire debuisse, est omnino fallax; quod autem intervenire debuerit videtur moraliter certum, ob occultam nimium concurrentium agentium (præsertim cœ-

lestium) naturam, & influxus ipsorum quantitatatem, ut patet ex eo, quod in materia auri alchymistæ necdum conveniant; alii enim lecoriam ferri, arsenicum, putamina ovorum, capillos humanum sanguinem, &c. requirunt alii, quod verisimiliter est, sulphur, argentum vivum, azuria metalla & particulas aliquas sinceri auri calore fornacis resolvunt, & in tertium (quod vocant aurum) commiscem; 2^o quia aurum hucusque confectum ignem non sustinet, colorem facile amittit, in braeteolas tenuissimas facile non ducitur, uti genuinum, ut testatur P. Telles *Physicæ Dissertat. 25. 3^o*; quia nullus est, cui credi debeat, qui vel confecerit, vel experietur factum ab Alchymista verum aurum, cum ab Ecclesia in extravaganti *spontem* usus talis artis prohibeatur, & obligentur illud vendentes ad restitutionem, ad quam obligari non possent vendentes, casu quo verum aurum conficerent; quia nemini per se injuriam facerent, licet ab Ecclesia prohiberi possent, ne venderent, ob injurias quas facere possent illi, qui se verum aurum fecisse præsumerent, & non fecissent, ergo, &c.

Confirmatur utraque pars ex D. Thoma 2. 2. q. 77. art. 2^o. ad 1^{am}, ubi utramque insinuat.

DISPUTATIO SECUNDA

De Causa in Genere.

D V B I V M I.

Quid sit Causa in Genere.

ANte Resolutionem
I. Suppono 1^o, Patres Græcos valde frequenter, & promiscuè, uti non in *causa* in Divinis, juxta illud D. Thomæ 1. p. q. 33. art. 1^o. ad 1^{um}. Dicendum quod *Græci utuntur in Divinis indifferenter nomine cause, sicut & nomine Principii. Sed Latini Doctores non utuntur nomine cause; sed solum nomine Principii*; Latinos verò omnes illud in Divinis exosum habere, eo quod nomen *causa* accipiant pro Principio communicante esse limitatum, ut constat 1^o, ex Bassarione Patriarcha Constantinopolitano citato in Florentino Sessione 12^a. cap. ultimo, ubi se excusat, quod inter Græcos nominibus *causa* & *causati* in Divinis usus sit; quia illis usus est, ait, *non ut limitationem important*; 2^o ex Anselmo Epistola de Processione Spiritus Sancti contra Græcos, ubi insinuant Spiritum Sanctum non esse effectum alicujus, quia numquam incepit esse: 3^o ex S. Thoma Opusc. 1^o. cap. 1^o. ubi ait, *si filius dicatur causam habere, posset intelligi, quod sub universitate creaturarum comprehenderetur*. Et 1. p. q. 33. art. 1^o. ad 1^{um}. *In omnibus enim causa generibus semper invenitur distantia inter causam, & id cujus est causa secundum aliquam (nota limitationem) perfectionem, aut virtutem.*

II. Suppono 2^o, causam in genere rectè dividi in illam, quæ sit Principium communicans esse illimitatum, quam voco causam in Divinis; & in illam, quæ sit Principium communicans esse limitatum, quam voco causam in creatis: Ratio est, quod Sancti Patres præfati solam causam juxta secundam definitionem exosam habent, & ut sic causam excludant à Divinis, ut vidimus; nec ipsi, aut ulli alii, negare possunt Patrem esse causam filii juxta

primam definitionem; quia quamcumque definitionem Principii Filii attulerint, cum illa coinciderit denique quia sic clarè salvatur nomen cause in Divinis juxta Patres Græcos, & clarè excluditur cum Patribus Latinis juxta acceptionem ipsorum, quorum utrumque à Catholicis videtur fieri debere: eodem modo divides effectum in genere, videlicet in accipientem esse illimitatum, quem voco effectum in Divinis; & in accipientem esse limitatum, quem voco effectum in creatis, & juxta hanc acceptionem in Symbolo de Verbo dicitur, *genitum non factum*, quam etiam acceptionem sequuntur omnes Patres Latini negantes effectum in increatis. His suppositis, sit

R E S O L U T I O.

III. **D**ico: causa in genere in rigore Philosophico est Principium communicans esse rei.

IV. Probatur, quia hæc definitio convenit omni causæ, ut constat ex supposito 2^o, & excludit omne, quod non est causa; ac in primis conditiones, quia licet præsupponatur, ut esse communicetur, non tamen esse communicans, ut fatentur omnes: deinde privationem (saltem à causa reali in genere) quæ esse non communicat, cum esse non habeat; unde ad corpus naturale in fieri non concurrat, nisi quatenus hoc partim componitur ex non esse. Dixi saltem à causa reali; quia non videtur posse excludi à causa intentionali: denique Principium in genere, quia ut tale non communicat esse, ut constat ex ejus speciebus, & puncto, quod est Principium lineæ, instanti, quod est Principium horæ, &c.

V. Objicies cum modernis Philosophis & Theologis: hæc definitio nimium lata est, ergo, &c. I. ro- batur antecedens, quia juxta illam, Pater respectu filii, & Pater & Filius respectu Spiritus Sancti essent proprie dicta causa, à quo abhorrent omnes Patres Latini, ergo, &c.

Respondeo